



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 250. Quid circa potum & res liquidas sit addendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

dit , postea autem iter non agat , aliqui cum 7.
Sanch. d. 53. n. 2. & 6. putant posse iterum in
meridie prandere, quia hora prandii est essentia-
lis vel saltem circumstantia intrinseca jejunio ,
ergo hac violatâ servari non potest jejunium ;
sed oppositum absolutè tenendum est cum *Sanch.*
in Conf. I. 5. c. 1. dub. 28. n. 8. *Castrop.* §. 3. n. 5.
& aliis , quia adhuc servari potest substantia je-
junii , circumstantia autem illa præcipitur divisi-
biliter.

1287 §. 4. Si quis post prandium sumpserit aliquid
cibi , tantò minus sumere debet in collatione : si
tamen ferme ad tempus collationis sumpsisset ,
quantum pro collatione permittitur, deberet ab
hac omnino abstinere , quia prior comedio cen-
seretur fuisse collatio.

1288 Q. 249. *An satisfaciat legi, qui pridie vel in pran-*
dio ita replet ventrem , ut non sentiat difficultatem in
die jejunii. R. Negant aliqui , quia agit contra fi-
nem legis , qui est maceratio corporis : sed *Bon-*
ac. de præcept. Eccles. d. ult. q. 1. p. 2. n. 7. cum
aliis multis probabilius affirmat , quia quamvis
peccet contra temperantiam , tamen ponit ob-
jectum à lege præceptum , licet non attingat fi-
nem illius , quod non requiritur , quia finis præ-
cepti non cadit sub præceptum , alioquin qui per
pisces plus nutririatur quam per carnes , non pos-
set comedendo pisces satisfacere præcepto jeju-
nii , quod nemo dicet.

1289 Q. 250. *Quid circa potum & res liquidas sit ad-*
dendum. R. Seqq. §. 1. Ad verum potum non
est satis , quod sit aliquid liquidum , alioquin lac &
juscum essent potus , sed requiritur , ut ex natura
sua tantum adjuvet ad alterandum corpus vel ad
vehen-

vehendum & concoquendum alimentum, non autem nutriat solidas corporis partes; & ita vi-num, mustum, cerevisia, vinum adustum alii-que liquores ex herbis distillati, sunt merus potus.

§: 2: S: Antonin: Alens: Richard: Rosel: Sylv: & 1290
 alii dicunt vino frangi jejunium, præsentim si
 manè bibatur, aut intendatur nutritio, & fiat in
 fraudem jejunii: sed absolutè negant S: Th: 2: 2:
 q: 147: a: 6: ad 2. aliique communissimè cum
Sanch: dub: 23: Laym: l: 4: t: 8: c: 1: n: 7., quam-
 vis etiam fiat ad sedandam famem, *Castrop:* p: 2:
 §. 2. n. 4.; imò licet fiat in fraudem jejunii, inquit
Tambur: §. 2: n: 4., quia Ecclesia tantùm prohibet
 hoc, quod de se est alimentum & tendit ad nu-
 triendum corpus, neque intentio sumentis mu-
 tat rationem potūs, qui de se est tantùm ad sitim
 sedandam & refrigerandū sanguinem, quam-
 vis etiam juvet ad vehendos & concoquendos
 cibos.

§. 3. De chocolata docent Th: Hurt: Lop: & 1291
 alii non frangere jejunium; Idem tenet Henrīq:
 v. *jejunium*, referens *Urbanum VIII.* oblatis in-
 gredientiis & in ejus conspectu confecto cho-
 ciate, de illo gustato dixisse, esse & manere po-
 tum: Idem responsum esse à Greg: XIII., Pio V,
 Paulo V, testantur plures DD., inquit *Ills:* t: 4: d:
 1: n: 39: Idem defendit *Cardin. Brancatius* in dis-
 sertat. de chocolate: Et hanc sententiam Dian:
 p: 11: t: 6: R: 54, & *Tambur:* n: 7. dicunt esse abso-
 lutè probabilem. E contrà frangere jejunium
 docent plurimi alii cum *Lez.* & *Castrop:* suprà,
 probantque fusè *Tamb:* suprà & *Boudew:* p: 2. q: 17,
 consideratis ingredientiis & vi nutritivâ illius:

Tom. III.

FFF

nih-

nihilominus putant Leand: & Dian., si non misceatur multum illius materiae sed bibatur tenuer, non frangere jejunium, secus si multum misceatur, & coquatur instar densae pultis; addunt saltem nunquam graviter frangere, nisi misceatur ultra duas uncias.

1292 §.4. De lymoniade & hypocras docent Leand: Murc: & Steph: t: 1: d: 5: n: 91. non frangere jejunium, quia communiter non multum miscetur materiae comedibilis; & idem videtur esse de faba Kaffe: minimè autem frangit decoctum ex herba The, quod potissimum est ad recreandos spiritus vel mitigandum sanguinem.

1293 Q: 251: Quid circa ea, quæ ad haustum sumuntur; item circa electuaria, tabacum & fructus. R: §. 1. Communiter tenent omnes cum Diana p: 10: t: 14: R: 59. ratione potus, ne noceat, non licere plus panis vel cibi sumere, quam medium unciam, quia hæc quantitas commixta potui sufficit ad impediendum nocumentum. Rectè monet Steph: n: 112. his verbis, puto de facto, sub colore, ne potus noceat, sèpius à variis aliquam sumi, tantum ideo, ut potus magis sapiat, quod profectò non licet.

1294 §: 2: S: Th: Laym: & Steph: n: 92. dicunt licere electuaria, confecta seu conserva, ut vocant, cum accipientur, non ut alimenta nec in fraudem legis, sed ut medicamenta aut præservativa, nisi acciperentur in magna quantitate: sed contradicunt Fagund: & Diana, R: 60., quia videntur habere rationem cibi, nec licere possunt nisi actu male affectis pro medicina, vel de propinquuo alioqui infirmandis ad præservativam.

§: 3: